

HEINSIUS NICOLAUS

CHRISTINA AUGUSTA (1093 vers)

L'édition proposée ici a été établie à partir de celle sortie de l'officine des Elzevier, à Leyde, en 1653.

POEMATIUM

EX OCCASIONE REGIORUM SOLENNIUM FESTI INAUGURALIS CONSCRIPTUM.

NICOLAI HEINSII CHRISTINA AUGUSTA.

C_1 v.1 Vota Lycaonii longum suspensa Bootae,
 2 sceptraque regalem tarde subeuntia dextram,
 3 ac nimium dilata, vocant. Memorabile festum
 4 spargere per populos, et amantem carmina famam,
 5 Augusta stimulante, libet. Quid in avia Cirrhae
 6 lustra vagum, quid in antra rapis Parnassia, vatem ?
 7 Nil tecum, Thymbraee, mihi. Praesentius illa
 8 numen, et incursu mentem graviore fatigat ;
 9 attonitosque sui persultat imagine sensus.
 10 Vastae molis onus, rerumque impervius ordo
 11 desuper incumbit titubanti humerisque timenti ;
 12 sed leviter tentanda rudi praeconia plectro,
 13 tutaque inexhausti libabitur ora profundi.
 14 Namque omnem Aoniis Heroida sistere templis
 15 cura alios premat alta : mihi, Thymbraee, negatum.
 16 Instabat sperata dies : Cyllenius omni
 17 jussus Atlantiades conquirere numina mundo.
 18 Paruerat : mora nulla, ruunt properantque vocati
 19 sub tectum sollemne Dei, cum praescia rerum
 20 talibus ora pater fatumque trahentia solvit.

21 "Nostis, io Superi, (quid enim non nostis ?) Adeste
 22 fatifero Parcis texendam stamine lucem :
 23 quam fore praesidio terris populisque saluti
 24 haud vanam cecinisse Themis Permesside in umbra,
 25 ante satum Paeana, fides ; quamque aurea rebus
 26 saecula relaturam ac rutilantis tempora venae.
 27 Jamque adeo insolitas revocata Pace per urbes
 28 ad patrium Phlegethonta ferox se vertit Enyo.
 29 Quod caput in terris regali dignius auro ?
 30 Aut quamnam librata manum sic sceptrum decerent ?
 31 De meritis, Superi, nihil addimus : omnia vobis
 32 quippe inspecta diu, serae nec egentia laudis.
 33 Cernitis, ut liquida flammantur luce comarum,
 34 verticis ut toto radiati gestiat auro
 35 sol amicare diem, atque hilari dotare sereno ;
 36 ut solito bigam conspectior incitet Eos.
 37 En viduata vacant habitantibus oppida turbis.
 38 Undique confluxere : trahunt spectacula mundum.
 39 Vulgi undam vix aula capit. Penetrabile per altum
 40 agmina densa animo late exsultantia fervent,
 41 invisamque moram querulis damnantia votis.
 42 Muneribus certari, ac gratiae pignora mentis
 43 crebra per augustos cumulati dona penates,
 44 quae, vel sol oriens, vel miserit occiduus sol.
 45 Nos quoque, ne tam laeta dies, tot plena bonorum
 46 effluat ignavis, operae mandemus oportet.
 47 Quilibet hic sua dona, suas exhauriat artes,
 48 si qua, Dei, pietatis inest reverentia vobis.
 49 Hactenus Omnipotens. Subito gemmantia plausu
 50 atria perstrepuere : sonat consensibus aether.
 51 Omnibus unus amor, ruere omnibus una cupido,
 52 mandatisque auferre moram. Nihil ociosius olim
 53 pulverei dum rauca fremunt certamina Circi,
 54 vix bene carceribus pernix micat ungula laxis,
 55 praevertitque fuga stimulantis verbera dextrae.
 56 Jamque incepta operum molimina, jamque peracta.
 57 Usque adeo properasse juvat, studiisque probari ;
 58 tantaque in obsequio concordia. Prima Dearum
 59 Saturno prognata Jovis conjuxque sororque
 60 chrysolitho rutilum atque ardentis luce pyropi
 61 et crebro intextum diadema adamante ferebat,
 62 donum opere egregio, nec quo laudatius ullum
 63 incola jactaret Liparaei Mulciber antri.
 64 Tum sceptrum ex auro solidum Libycoque elephanto,
 65 cui pretium addiderat Carmanide quicquid in unda
 66 eruit Eoi populatrix India ponti ;
 67 quicquid Erythraeo pretiosae litore mercis,
 68 aut e conchyli Phoenicia colligit ostro.
 69 Ordine quisque suo mox cetera turba deorum
 70 reginam venerantur, et augent munere cultum.
 71 Munychiis quos inter honos Dea maximus aris,
 72 pectora Gorgoneae cui spiris septa colubrae,
 73 in se oculos astantum ac lumina fixa trahebat.
 74 Illa auro baccaque rigens et murice textum
 75 bis madidum Tyrio, rari monumenta favoris,
 76 rari operis monumenta, manu versante terebat.
 77 Quod cura exactum vigili assiduoque labore
 78 multa soporato lustrarat lumine Phoebe,

79 lustrarat roseo miratus lumine Titan.
80 Non sic artificii variantem pollice telas
81 intentamque operi Colophonia vidit Arachne.
82 Nec laudatrices sic commendastis Athenae
83 inclyta Erechtheis molitam vellera templis.
84 Hic seriem augustam ac atavos ab origine reges
85 heroas belli eximios laudisque togatae,
86 claraque gesta virum, atque undantes sanguine lauros,
87 hic Romam Getico bis adactam Marte rebellem,
88 Europamque Asiamque Aquilonia jura ferentes
89 finxerat aeterna Tritonia staminis arte,
90 et sudarat acu. Sed plurimus aequore vasto
91 emicat, atque oculis sese trepidantibus offert
92 asper in arma Parens, et ab omni parte triumphat.
93 Barbaricas Moschorum acies seu proruit hasta,
94 perque nives glaciemque ac lustra habitata procellis,
95 perque in nubiferis disjectas rupibus arces
96 avia fatali Boreae terit horrida cursu.
97 Seu modo Sarmaticum regni pacator in hostem
98 fertur ovans animis, insultantesque repellit,
99 tergaque fulmineo Mavorte fugacia turbat.
100 Campo agilem rapit acer equus, stimuloque negantes
101 arrigit indignans in saltum atque excutit armos :
102 nunc rigidis se praecipitem calcaribus aufert,
103 pulvereamque trahit post terga volucra nubem.
104 Sanguineis spumam rutilantem undare lupatis,
105 hinnitumque audire putes. Ruit omnis in unum,
106 unum armis votisque premunt furiata juvenus.
107 Ille inconcussa densatos mole fatigat,
108 letiferumque rotans pereuntibus ingerit ensem.
109 Prona caput circum volitans Victoria notum
110 radit et admissis cristam Dea ventilat alis.
111 Jamque acies percellere, et instigare secutum
112 hortarique Ducem. Stagnanti lubrica tabo
113 fumat humus spissoque negant satura arva cruori.
114 Surgere at inde repens numerosi funeris agger,
115 ac circa exanimes attollere campus acervos.
116 Singultus morientum et fractum in stamine murmur
117 cum gemitu effundi minitante novissima credas.
118 Qualis ad Odrysii glaciale Strymonis undam
119 Mars tonitru armorum et clypei radiantis aheno
120 fulgure concurrentem acie si fertur in hostem,
121 nulla mora est ; jam sparsum agris evanuit agmen :
122 quaque ruit, fuga certa viris, mors certa sequuntur
123 ecce pedem famulis Germania trita catenis,
124 praeda gravi domino rerumque indigna jubenti,
125 rorat humum lacrimis, tremulasque miserrima palmas
126 supplicat intendens, libertatemque reposcit.
127 Advolat, ac lapsam victricibus erigit ulnis,
128 absolvitque jugo. Paulatim fronte serena
129 pulcher honos, roseaeque vigor micat ille juventae.
130 Adlambunt dominos per foeta novalia passus,
131 atque exsultantum palantes more feruntur,
132 non jam acies, jam non incendia dira trementes,
133 Danubiusque Albisque et arundinifer Visurgis
134 Lenaeoque comam vestitus palmita Rhenus.
135 At non assuetae violenta tyrannidis atrox
136 jura rapi sibi passus adest in proelia Caesar.

137 Infelix, quem causa Deis adversa trahebat !
138 Illum Erebo, illum omni Furias Phlegethonte cientem,
139 raptantemque faces et in obvia quaeque rotantem,
140 cernere erat, rabidumque odiis permittere Martem
141 nequicquam, ac miseris meditantem infanda colonis.
142 Hic equiti obtritam spicae viridantis aristam,
143 et late agricolis vastata mapalia caesis.
144 Illic undantes involvere moenia flammae,
145 et fumo immixtam glomerare sub astra favillam.
146 Quoque magis moveare, inscripta nocentibus armis,
147 ac mentita habitum fera Relligionis Enyo,
148 supplicis ora ferens et opem auxiliumque rogantis,
149 pone Ducem comitari, et inermem obtendere olivam ;
150 tum niveo aeratum velari pectus amictu.
151 Ultor adest inopinus, et excutit arma prementi
152 avertitque dolos. Quem circum Esthosque Gothosque
153 Lappionesque, aeterno obsessam frigore pubem,
154 terribiles habitu formas, latosque Triones,
155 et crudam patriis excitam sedibus Arcton
156 conspiceres, Scythicisque Aquilonem effundier antris.
157 Gens vitae impatiens, et obire facillima letum
158 quo laus cumque vocet : cui multus fronte minaci,
159 multus in exserto spirabat pectore Mavors.
160 Mente alacres, mente intrepidi per strata feruntur
161 agmina, per spissos jaculorum examina nimbos.
162 Nec procul Austriacos averso fervere passu,
163 tergaque nudantes consternatosque videres.
164 Horror in ore viris. Sibi praevia Parca rigentum
165 funereos oculorum orbis torpore gelarat.
166 Frons fati jam plena sui, nec imagine laeta
167 damnantes confessa Deos. Decrescere sensim
168 hinc magis atque magis tenvatum cladibus agmen.
169 Arma valent meliora. At te, Germanice vindex,
170 res tantas operumque inter pulcherrima raptum,
171 vixque orbi exhibitum, vix septem lustra trahentem
172 subducit Fortuna tuis ingrata triumphis.
173 Auctor abest ; nullique datum conquirere famam
174 mortis laude tuae, solus sibi vindicat aether
175 invidiam hanc, et prona neci Disque aemula virtus.
176 Neu tam sacrilego manus una superbiat ausu,
177 vulneris innumeri prodebat signa cadaver.
178 At victrix anima, et sedem aversata caducam
179 corporis, exuviasque inimica in strage natantes,
180 jamque asserta sibi, nulloque coercita vinclo,
181 quadrijugis cognata subit candentibus astra
182 jure triumphali, ac properos citat aere cursus :
183 dumque citat, majorque oculis majorque videri,
184 et rutilo insolitum diffundere vertice lumen.
185 Ceu post Threicii praesepia versa tyranni,
186 Lernamque Cretenque, et aenisonum Stymphalon,
187 lustraue vindicibus Nemeae pacata sagittis,
188 post caesas ubicumque feras, ubicumque fugatas,
189 sprevit Echidnaeum lutali virus in Oeta
190 filius Alcmenae Tirynthidos, eque recessu
191 corporeo suus emicuit, patrioque renidens
192 monstrorum domitricem animam permisit Olympo.
193 Hactenus arma Patris. Post ordine prima secundo
194 filia sexum animis atque annos laude superstat.

195 Filia, conatus virtutum immensus, et in qua
 196 exhibuere Dei quantum sibi posse liceret.
 197 Illam inter lituos et castra rigentia ferro
 198 nascentem aspicias, arridentemque ttopaeis,
 199 et spolia audaci tractantem hostilia dextra ;
 200 jamque in laurigeris spirantem ultricia cunis,
 201 ac longum Austriacis lugenda penatibus arma,
 202 inferiasque Patri. Mox autem, ubi firmior aetas,
 203 Mnemosyne docilem praeceptorumque capace
 204 instruit, exemplisque animum stimulantibus altum
 205 et patriae multa virtutis imagine tollit.
 206 Neu nihil e tantis sibi dotibus arroget auctor
 207 staminis, en sublimem animam gravidamque triumphis
 208 pacis ad innocuos paulatim avertit amores,
 209 seque adeo totam miranti inspirat alumnae,
 210 et media Pietate armorum temperat usum.
 211 Illa autem moresque Deae geniumque monentis
 212 mente avida imbibere ; ac se fingere numine dignam.
 213 Ambabus par frontis honos. Quotiesque vel agmen
 214 praecipitant hostile fuga, vel moenia sternunt,
 215 ancipiti ludant animos ambage tuentes,
 216 reginam auratae ni prodant tegmina peltae,
 217 aegide obumbretur Phorcynide pectora Pallas.
 218 Bellorum interea, nova res, inopinaque visu ;
 219 dum stimuli irarum ac leti contemptus utrimque
 220 saevit, et in palmam concurritur impete toto,
 221 pesque pedi manibusque manus, osque pre premuntur,
 222 Caesarianam aciem subducere terga phalangi
 223 Vandalicæ consueta, ac projicere arma notares :
 224 mox pacem lacrimis, pacem petere indice dextra,
 225 confessoque genu. Nec non Regina subactis
 226 annuit, et turbam venia dignatur inermem.
 227 Tum spolia extemplo pacali obnubere oliva,
 228 Bellonaeque inferre rogis monumenta nefandae
 229 congestis abolenda parat. Pax ubere demum
 230 foeta sinu permulcet humum, cornuque benigno
 231 tristibus affulget populis ; jamque exsule ferro
 232 sacra virent passim melius sortita metallum,
 233 et facies rerum Saturnia respicit orbem.
 234 Mons erat, apricis quem frondibus innuba laurus
 235 myrteaue innexis operibat silva corymbis,
 236 contiguum gemino distentus in aera dorso.
 237 Inter utrumque jugum pubentibus area campis
 238 ridet, et arboreae verum decus explicat umbrae,
 239 occiduum referit comitata crepuscula lucem.
 240 Puniceis alterna rosis candentia cernas
 241 lilia, narcissumque et Apollineos hyacinthos,
 242 et ventis debentem inimicis nomen Adonin.
 243 Praeterea innumeras, quas ingeniosa laborum
 244 distinxit variis Natura coloribus, herbas.
 245 Ambrosium Zephyrus foliorum miscet odorem,
 246 prataque fertilibus fragrantia ventilat auris.
 247 Fons salit in medio, pulcherrimus ille, nivemque
 248 perspicuis imitatus aquis, tenui que susurro
 249 prodit oberrantes latebrosa per avia flexus.
 250 Mille nemus geniale petunt hinc inde volucres,
 251 mille canor volucrum torrentibus. Assonat undis.
 252 Divae habitant, numeroque novem, decor omnibus unus

253 incessuque habituque, atque omnibus una juvenus.
 254 Pars incompositis persultat rura choreis,
 255 pars ebori testudineo nunc carmina mandat,
 256 nunc canit, aut alio sua decipit otia ludo.
 257 Hic requies Reginae : haec lustra foventia lassung
 258 pectus, et a vasta curarum mole remissum.
 259 At quoties (nam saepe solet) subit hospita tempe,
 260 mollem assurgentes occursantesque per herbam
 261 intueare deas. Nec juris in avia tantum
 262 frater habet, Clariique soror Latonia fratris.
 263 Tum, sive illa canat, sive audiat illa canentes,
 264 (pondus id arbitrio est) huc flectere lumina cunctae,
 265 et nusquam attonitis non prona silentia silvis.
 266 Spirat opus, vivaque animantur imagine telae.
 267 Talia lustrantes (nec enim sinat omnia tempus
 268 percenseri oculis) alio rapit obvia pubes.
 269 Legati extremo gratarum ex orbe frequentes
 270 accurrere. Juvat moresque habitumque sonumque
 271 rimari, et quid quisque ferat, quibus adsit ab oris.
 272 Pars quorum assiduis attriti Teutones armis
 273 gens olim invicta et fidei praeclara probatae,
 274 impatiensque sui ac rerum studiosa novarum,
 275 pronaque mutandos variari Gallia ritus ;
 276 certa eadem indomito Lethen avertere nisu,
 277 hostili seu pulchram animus rapere agmine laurum,
 278 seu tersae magis eloquio se tollere chartae,
 279 et latebram penetrare audaci Aganippida plectro ;
 280 Cimbrique Moschique, ac sanguine pastus equino
 281 Sarmata, et Hesperio Tartessus accola Baeti ;
 282 atque alii innumeri, quos ubere misit abundans
 283 terrarum Europe, et multa fecunda virum vi.
 284 Agmine mox facto proceres occurrere contra
 285 magnanimique duces, quibus ora virilia pulchris
 286 belli inscripta notis, et adhuc sordentia palmae
 287 pulvere Teutonicae, desudatisque tropaeis.
 288 Cetera nobilitas post imminet, imminet agmen
 289 virgineum, formaque nurus radiante decorae.
 290 Addiderat formae se conciliator amorum
 291 cultus, et innumera rapiebat jaspide visus ;
 292 tum radios hebetabat onyx Sardoia diurnos.
 293 Ecce polo delapsa Venus, Venus ecce per altas
 294 luxuriat lasciva nives, umbraeque comantes
 295 Idaliae saltus ; vernique Amathunta teporis,
 296 et Paphios Cnidiosque lares Cypronque paternam
 297 nimbiferis gelidae mutavit rupibus Arcti.
 298 Ah tibi ne frigus noceat, Cytherea, malignum ;
 299 ne qua tibi, Cytherea, facem necet aura videto !
 300 Scilicet insolitae Boreales ferre pruinas,
 301 et pede canentis transmitters terga profundi
 302 marmoreo solidata gelu. Sed plurima merces,
 303 quicquid in exilio duri patiare, sequetur.
 304 En pretium non vile viae. Victoria, qualem
 305 proelia nulla ferant, magnique operosa tropaei,
 306 nec tanto sudore tibi quam fleveris emptam,
 307 mite levamen erit. De tot praestantibus unam,
 308 formarum quas Arctos alit certamine dives,
 309 selige virginibus, cui vincla jugalia nectas ;
 310 aut omnes, si forte libet, Dea, selige formas.

311 Huic uni nil juris habe. Vetat ipsa, negatque
 312 numinis esse tui, Tritonidos aemula magnae,
 313 aemula non nuptae Tritonidos, aemula Phoebes,
 314 atque uni viduas regno dare sedula noctes
 315 sollicitumque torum. Nec cura frequentior ulla est,
 316 quam sibi commissam populi spectare salutem.
 317 Huic proli studet illa : juvat sic esse parentem,
 318 et generi humano maternum impendere pectus.
 319 Sed quid ego incassum, quid inanem carmine pompam
 320 prosequor, Aonio cum tam fecunda supersit
 321 materies plectro ? Tu pompae totius instar,
 322 sceptrorum fatale decus. Tu sola moraris
 323 attonitas mentes, et in haec spectacula fixas.
 324 Tu memoranda mihi. Trahor ultro, et in aequor apertum
 325 prolicit obluctantem ingesta sine ordine virtus.
 326 Nam quid tam facile est, quam commendare merentes ?
 327 At tibi, cui totum se prodigus obtulit aether,
 328 nil Musae queat esse satis : non si ipse Cithaeron
 329 incubet his humeris, hoc pectore Castalis undet.
 330 Indolis an diae teneris documenta sub annis
 331 excessura fidem, nullique imitanda senectae ;
 332 fortunam an famulantem, et praevenientia semper
 333 votum fata canam ? An jussos properare triumphos
 334 vix genitae, cunasque prementi atque ubera matris ?
 335 Haec olim. Nunc major honos, nunc Pace renata
 336 te Tritoniaca praevelat termes olivae.
 337 Tot cives servasse parum est. Clementia major
 338 hostibus invitis et lucem ferre coactis
 339 demptus amor leti, ac pereundi excussa voluptas.
 340 Civibus hos praeferre suis clementia major.
 341 Ne male tentatis toties se crederet armis
 342 exorandus erat, desperatave salute
 343 Caesar inexplendum stimularet ad ultima Martem.
 344 Hic, Augusta, labor longe magis arduus ipso
 345 palmarum sudore tibi. Quin sprete subactis
 346 paxque invisita palam longa assuetudine cladum.
 347 Sustinuit dubitare diu, quamquam obvia semper,
 348 annueretne piis fati indulgentia votis.
 349 Tam diro adflarat damnatas sidere partes
 350 ne superaretur superari audacia praeceps.
 351 Extorsisti animis pugnacibus otia ferri,
 352 et mores, Augusta, tuos. Victricia quantum
 353 arma negare sibi est, et fastidire triumphos !
 354 Felix strage sua Germania, vulnere felix,
 355 cui tam clementi succumbere contigit hasta,
 356 tam placida cecidisse manu ! Quae praemia palmae,
 357 libertas ubi poena datur, cladesque saluti est ?
 358 Nulla usquam tam Marte ferox, tam bellica tellus,
 359 militis ense tui cui desint vota domari.
 360 Non aevo quodcumque ducum memorabile prisco,
 361 non Genitor, si vivat adhuc, tuus ipse recuset :
 362 quem, ne nil operum Gnatae superesset agendum,
 363 credibile est voluisse mori, titulisque superbam
 364 praecipitasse colum, seque avulsisse tropaeis.
 365 Illum altis, Augusta, animis, illum indole tota
 366 reddis : in hac superat redivivus imagine nobis.
 367 Ille vigor, vigor iste, genas qui flammeus ambit,
 368 lumine qui rapidi se fulguris exigit instar,

369 quamlibet ignaro te prodat et indicet orbi,
 370 indicet iste Patrem. Si dissimulare labores
 371 natales, Augusta, tuos ; vigor iste loquatur.
 372 Moliris quodcumque, decet. Successus agentis
 373 nusquam optatus abest, studioque supervenit omni.
 374 Seu frendentis equi sternaci credita tergo
 375 tolleris, et jussos nunc qui glomeretur in orbes,
 376 nunc campi effusa praepes terat aequor habena,
 377 sanguineique armata refers simulacra duelli,
 378 miratur veteranus eques, vincique fatetur.
 379 Non sic, Edono Hippolyte cum fulminat Haemo,
 380 lata securigeram formidat Amazona Thrace.
 381 Te sibi malit onus Neptuno natus Arion,
 382 Oenea quam magnum aut Talaonium Adrastum ;
 383 te Lacedaemonio pro Castore Cyllarus optet,
 384 et Larissaeo mutarit canthus Achille.
 385 Aliger hoc placidos sub pondere praebat armos
 386 Pegasus, excusso Lyciae domitore Chimaerae,
 387 quem dudum, Regina, tuus tibi frenat Apollo.
 388 Sive agiles ductare subit per prata choreas
 389 impetus, et raro mulcere negotia ludo,
 390 jam Laertiades minus admirabitur exsul
 391 progeniem Alcinoi Phaeacida : malit et Arcton,
 392 quam Corcyraeos ridentia poma per hortos :
 393 et tua Nausicaae magis hospita litore tellus.
 394 Debita ferre libet rapido seu praemia cursu,
 395 nec libatura segetem contendere planta,
 396 non tibi, mille licet pennis agitatus Amorum
 397 vicerit Hippomenes volucrem Schoeneida, certet.
 398 Seu gravidam telis juvenilia terga pharetram
 399 venatricis habent, et fallere nescia dextram
 400 fulmineas librata feras praeverrit arundo :
 401 haud aliter (nisi si qua deas conferre deabus
 402 invidia est) Dictynna sui per devia Cynthi
 403 Taygetive jugis aut Maenalii Erymanthi
 404 nil erraturo praedam super imminet arcu.
 405 At major tibi cura nemus praelataque menti
 406 Thespiacum, et paucis peragratae regibus umbrae.
 407 Hic nocturna quies, hic caelibis otia lecti
 408 posthabitum curis invitatura soporem.
 409 Maeonidae quod Musa patris, laus prima sororum,
 410 vel pandi Ascraeus moderator cantat aratri,
 411 quodque Syracosius blanda dat arundine pastor,
 412 sceptrorum gravitate trium quandoque relicta
 413 volvere fert animus posito fomenta labori ;
 414 Pindaricum aut tonitru, aut Venusini fulmina plectri,
 415 aut lymphae quicumque adflantur Hyantidos haustu,
 416 praecipue lateri vix divellendus adhaeret
 417 augusto, creberque comes, quem Mincius orbi
 418 contulit Ausonio Graiae nihil invidus undae ;
 419 tuque, anima Aonidum, ingenio Dis proximus ipsis,
 420 corpora cui variant transformia mille figurae,
 421 Peligni Sulmonis honor, quem gurgite toto
 422 enthea, quem toto possedit Apolline, Phocis.
 423 Sic legum innuptam genitricem Heliconia Tempe
 424 quondam adamasse Themis fidei dubitanda vetustas
 425 prodidit, innocuum non aversantibus orbem,
 426 cedere Dis terra nec degenerante coactis.

427 Hos sibi secessus, atque haec arbusta dicarat ;
 428 fataque sortilegis hinc certius edita Delphis.
 429 Cingite gentiles victricia tempora lauri,
 430 sed duplici merito nunc cingite ; Cynthus ipse,
 431 ipsa suo plectat quas Pieris aurea Pindo.
 432 Nec Sophiae neglectus amor : quae regula morum
 433 certa tibi, vitaeque et in omnibus emicat actis.
 434 Scis quid Socraticae sapientia posthuma mentis
 435 dius Aristocles, quid Carneadea recludat
 436 Porticus, et Samiae facunda silentia turbae ;
 437 quid rigidi fato mens illabefacta Cleanthae,
 438 vel culti tutela senex Gargettius horti.
 439 Praeceptis exempla magis seu lecta probantur,
 440 temporis est animus cani scrutator, et omnis
 441 cui nihil historiae, veteris nihil abditur aevi.
 442 O quoties parcamque cibi parcamque soporis,
 443 ac penitus fixo versantem has pectore curas
 444 phosphorus, atque alio mox idem nomine Vesper,
 445 conspicit exoriens pressa stupefactus habena !
 446 Tota adeo tibi mente et in ossibus aestuat imis
 447 non satianda sitis, superansque alimenta, sciendi ;
 448 quaeque opibus regni vel gaudeat omnibus emptum,
 449 si quid adhuc pectus latuit caeleste, doceri.
 450 Consiliis quod robur inest, prudentia qualis !
 451 Quanta gravi vis iudicio, felixque facultas ?
 452 Ut nihil huic clausum, nil non penetrabile rerum,
 453 cuncta abstrusa patent ? Utque in caligine densa
 454 pectoris humani circumfususque tenebris
 455 gnara tenere viam, et veri indagare recessum !
 456 Utque oculos semel olim aut fidam admissa per aurem
 457 sensibus indomitis animoque tenaciter haerent,
 458 nullius immemori, nisi si qua injuria laesit !
 459 Quae pietas, et quanta Deum reverentia menti,
 460 quoque loco Genitrix ! Queis non studiisque merentem
 461 obsequiisque foves ? Creberrima pectore Mater,
 462 Mater in ore tibi ; Mater tibi prima voluptas.
 463 Post Superos nihil est, quod sic venerere colasve,
 464 cuique suae titulum magis imputet illa salutis,
 465 quam, Regina, tibi. Misero nec certius olim
 466 auxilium genitori, ubi Doricus Ilion ignis
 467 lamberet, Aeneas ; et in Hectore Troja perisset.
 468 Quis nitor eloquio ! Quid tam rigidumque ferumque
 469 tamque inconcussum te non flectente dometur !
 470 Ipse tibi (licet erubeas renuasque, fatendum est)
 471 cui nihil invictum, nihil obstitit hactenus uni,
 472 Mars det terga tuus ; validisque potentius armis
 473 fulmen adorarit submissus in ore deserto.
 474 Nunc Amphionio Cadmeia carmine Dirce,
 475 nunc jussae properare ad plectra vocantia cautes
 476 se licet attollant : quique horrida saecula ferarum
 477 silvasque scopulosque Oeagrius impulit Orpheus.
 478 Cum bis in erepta defixus conjuge mentem
 479 Ismara flexanimo mulceret inhospita questu.
 480 Inventura fidem es jam, prodigiosa Vetustas ;
 481 nil tibi jam de te non credimus. Insidet ori
 482 mille Charis comitata Jocis, mille aurea Peitho,
 483 nativusque lepor, nec praemeditata venustas,
 484 et sale conditi largo sermonis acumen,

485 illapsurum animis vel nectare gratius omni.
486 Huc concurrentes tot in uno pectore linguas
487 adjice, tot populos, tot dissona vocibus ora.
488 Non sic Carpathius se vertat in omnia Proteus,
489 aut Thetis Haemonii thalamum subitura mariti.
490 Fastus abest ; mens laeta nihil regale minatur
491 imperiive sui placidisquepotentia verbis
492 exsulat, et comi frons majestate renidet.
493 Scilicet in tanto Fortunae culmine, quanto
494 paucis stare datum, coacervatosque favores
495 inter adulantis pronique per ardua fati,
496 privatos crebro gaudentem assumere vultus,
497 et quosvis affantem ultro, nullique negantem
498 intrepidus aditus et aperta palatia turbae,
499 quis satis extollat ? Precibus quis mitia frangi
500 pectora, quantumvis non indulgenda petantur ?
501 Quaenam supplicibus praesentior ara juvandis,
502 aut tam prompta manus ? Quod numen amicis aequo ?
503 His oculis, his (inquam) oculis, Augusta, notavi,
504 cum gemitus miserorum et singultantia verba
505 lumine non ferres sicco, lacrimaeque subortae
506 (luctarere licet te dissimulare) paterent.
507 Tum quod habent liquidum, quod non dubitabile sanctae
508 indolis indicium, facilem veniaeque paratum
509 delictis offerre animum, noxamque professos
510 excusare sibi, nec facti onerare pudorem.
511 Adde, quod his praestat, quae Dis contermina virtus,
512 ignoscentem aliis sibi nil ignoscere lapsae,
513 et macula procul esse omni, populoque regendo
514 faece illibatam terrena advertere mentem.
515 Virtuti jam quantus honor ! Quae munera recto !
516 Quanta incorruptos circumstant praemia mores !
517 Pauperies Helicone procul vetus accola cessit,
518 quaeque Bonam Mentem nunc non comitatur Egestas.
519 Ut cultis favet ingeniis ! Quam lance benigna
520 vel minimas in quoque sagax expendere dotes !
521 Judex dura sui nihil ostentare, nec ullas
522 illecebras quamquam meritaram admittere laudum,
523 et titulos rebus superare modestia gaudet.
524 Salve hominum, salve assertrix memoranda Deorum,
525 par priscae decus Astraeae, rerum optima Virgo ;
526 quam vitiis invictam hostem, virtutis asylum
527 oppressae sontique fugam tellure minantis,
528 res tulit humanas miserari providus aether.
529 Hinc pro te assiduis onerari Numina votis,
530 totque preces auditae et thura crepantia templis.
531 Stellifer hinc, quacumque patet, decora intonat axis
532 sceptri aeterna tui, et reverentia certat amori.
533 Hinc fama majorem animam, ac miracula morum
534 creber adoratum cupido ruit advena mundo.
535 Quaque relegandi vix poena severior olim,
536 gaudet Hyperboreis habitare penatibus exsul,
537 injussamque fugam Geticas molitur ad arces,
538 si qua sibi laudis non vanae conscia virtus
539 ferre negat viles eluctatura recessus,
540 ac tenebris emergere amat, lucemque mereri.
541 Hinc aula prodire frequens lictore remoto,
542 hinc dare te turbae mediam secunda per urbem,

543 nec procul urbe minus : nulloque satellite, nullo
 544 milite cincta latus, valido sed amore tuorum
 545 praesidioque tui. Facit haec custodia tutam :
 546 hic vigil est, Augusta, tuus ; noctesque diesque
 547 excubat ille tibi : munimine niteris isto.
 548 Quod magis optandum tot fracto cladibus orbi,
 549 aut quod amabilius, quod dignius aethere donum,
 550 quam pia, quam clemens, Superisque simillima Princeps ?
 551 Obvia cui semper laudatis praemia factis
 552 ongerit aeternae stimulatix dextera Famae,
 553 et quamvis avidam praevergens muneribus spem.
 554 Cui necis humanae cupido nihil addere Marti
 555 unica avaritia est, effundendoque cruori
 556 parcere, nec Stygiam nauo cumulare carinam.
 557 Cui magnos ratione animos frenare magistra
 558 regnandi auspiciam, ac primas sibi ponere leges ;
 559 nec fatis dare vela suis, cautamque vocanti
 560 fortunae obstruere, ac Superis hortantibus, aurem.
 561 Denique tot meritis quam spectatissima virtus
 562 supra homines, supra invidiam laudemque, levavit.
 563 Dii, quibus imperia, et regum subnixa potestas,
 564 si lacero consultum orbi, si gentibus itis,
 565 augustum servate caput. Quid enim amplius optent
 566 publica vota boni, vel quid magis utile rebus ?
 567 Annuite ; et, tanto dignati munere terras,
 568 indulgete diu ; patriisque quod abstulit annis
 569 saeva colus Parcarum et inexorabile pensum,
 570 gnata sibi annumeret. Non invidiosa precamur,
 571 Non indigna peti : meritis nisi praemia desunt,
 572 et cladum mundo pereunti extrema paratis.
 573 Sint rata vota ; piis, Dii, sint sua pondera votis.
 574 Tu vero, Aeolios inter crudissime fratres,
 575 tolle caput, Borea ; nec humum torpentibus alis
 576 rade, nec immites circumflent ora procellae,
 577 cana nec impexa solidetur stiria barba.
 578 Sed roseo vultu, sed luxuriante juventa
 579 conspicuus, viridique comam redimitus arista
 580 fertilibus convexa fove vernantia flabris,
 581 et Geticis infer Nabathaeum frugibus annum.
 582 Pone feros habitus, ac mitius indue numen.
 583 Qualis Erechthea cum virgine captus amator
 584 horrida frangebas miti Pangaea volatu,
 585 et croceo steriles mutabas flore pruinas.
 586 Plus aliquid pulchra nunc diligis Orithya,
 587 Palladias patriam quamvis ea jactat Athenas,
 588 Piraeosque sinus, et opimum mellis Hymetton.
 589 Terra potest, quod ames, quae non dare ? Sed quod adorent
 590 saecula, perpetuis quod plausibus evehat aetas
 591 quaelibet, ac nasci stupeat potuisse negetque,
 592 frigoribus populare tuis. Molimina laudum
 593 absolvit Natura tibi : tibi contulit uni,
 594 tot populis quantum ante nihil. Quid Roma, quid Hellas,
 595 utraque praestantes virtutibus, utraque clarae,
 596 jungantur licet, atque uno cumulentur acervo,
 597 his meritis aequale dabunt, his dotibus addent ?
 598 Ecquis, io Borea, te laude beatior omni ?
 599 Quis fratrum certare tibi temerarius ausit ?
 600 Non anima uda Noti, liquidave Favonius aurae

601 prodigus, aut qui cinnameum Dis nutrit honorem
 602 Eurus, odoratae cui supplicat India messis,
 603 turilegaeque Arabum gentes, ac discolor Eos :
 604 quem sibi prae reliquis comitem Pallantias ambit
 605 Hippodatae natis, et amico foedere junxit.
 606 Fortunate Aquilo, te post tot secula Marti
 607 sacra, tot afflatas armorum fulmine brumas,
 608 Puniceoque nivem liquefactam sanguinis imbre,
 609 mitigat en melior Pallas dea. Projice ferrum,
 610 pax que tibi praestet non emptos caede triumphos.
 611 Quique olim Latiasque acies Graiasque subactor
 612 indomitis fregisti armis, pessumque dedisti,
 613 ingenii superanda tibi gens utraque cultu,
 614 quod superest ad palmam, et inermi vince duello.
 615 En quod agas, dum bella silent. Regnante Minerva
 616 desperare nefas, brutaeque silentia mentis
 617 crimen, et admitti flagrantem excludere Famam.
 618 Mitibus incumbendum et eundum ad sidera chartis.
 619 Certior hinc veniet tibi gloria ; quamque perennem
 620 talibus auspiciis, tutamque a tempore, praesto.
 621 Quo feror, et rabidis do vela tumentia ventis ?
 622 Nullius apparent terrae juga. Portubus orbum
 623 aequor aro, vastaeque ratis luctata procellae
 624 quam subeat non spectat humum. Latera undique gurges
 625 assultans titulorum immani oppugnat acervo.
 626 Seraque spes reditus, nec iter decurrere probro est,
 627 et temere ablatae jam vota superflua terrae.
 628 Quis mihi succurrat, nisi tu, quam plurima virtus,
 629 plurima conspicuam clementia reddidit orbi,
 630 rerum, Augusta, Salus ? Tu post tot vivere jussas,
 631 quas modo damnarat Lachesis Mavortia, gentes,
 632 hoc reliquis, precor, adde caput. Da figere litus.
 633 Eripe tot laudum minitantibus, eripe, saxis.
 634 Haud exploratos incautam traxit in aestus
 635 multus amor mentem, et nimia pietate fefellit.
 636 Da veniam, tantis nil par nil dotibus aequum
 637 aut dici potuisse, aut non potuisse sileri.
 638 Sic exorandos, meritis quos ipsa piasti,
 639 plurima concilient Superos tibi tura per orbem,
 640 nullaque non pro te se gaudeat ara rogatam.
 641 Te tua Pax, tu Pace tua diuturna fruaris,
 642 perpetuumque velint Dii terris numen utrumque.
 643 Sin (quod fata vetent, et abominor) arma resumes,
 644 Marsque iterum tentandus erit, ferroque vacandum ;
 645 militet invictis, seque inferat ardua, castris,
 646 et Dominae assuetas iteret Victoria palmas.
 647 Sed meliora Dei. Nec si Fortuna malignam
 648 (ut levis est) rebusque tuis se praestet iniquam,
 649 quo noceat, quove obsit, habet. Tot tolle triumphos,
 650 tolle arcesque, et opes, et aviti insignia sceptri,
 651 pax sceptri est in mente tua tibi, mente triumphi.
 652 Hic regnum, quod nulla dies concusserit aevi,
 653 aeternumque tenes et inexpugnabile fati.

AD REGINAM, CUM POEMATIA ILLI MEA MITTEREM.

C_2 v.1 Sidus inocciduum septem, Regina, Trionum,
 2 faxque Lycaoniae clarior igne facis,
 3 fulmineo nec Patre minor, quem bella tonantem
 4 Mars per Sarmaticas horruit ipse nives ;
 5 innocuae cape Pacis opus ; te vindice tandem
 6 quae male desertam Diva relisit humum.
 7 Haec tibi se debet, de totque clientibus una est :
 8 haec de tot Superis muneris una tui.
 9 Est aliquid, longis satiari posse triumphis,
 10 victricique modum ponere velle tubae.
 11 Quid quod Apollineas mitissima respicis artes,
 12 temporis exemplum non imitata tui ?
 13 Quid quod et ipsa canis : nec te latuere probantem
 14 in Clarios veterum plectra sonora modos ?
 15 Regia res, res digna tuo, Regina, favore
 16 carmen et Aonio pollice tacta chelys.
 17 Quo minus est mirum, mea si Polyhymnia pallet ;
 18 si timet Augustas lenta subire manus.
 19 Haereat ut meriti sibi conscia nullius ecce :
 20 ut lare privato posse latere probet.
 21 Cunctantem tua jussa trahunt, properare necesse est.
 22 Rustica sit, juris si velit esse sui.
 23 Lustret Hyperboreas igitur non sponte pruinas,
 24 quae nihil antiqui jam loca moris habent.
 25 His hospes modo Naso meus laetetur in oris,
 26 et Geticam Latio proferat exsul humum.
 27 Quicquid id est, (nam velle tibi, Regina, probari
 28 ambitiosa nimis vanaque vota forent)
 29 anne sit invidiae dubito mea Musa ferendae,
 30 ausa quod ante sacros procubuisse pedes.
 31 Erige, namquepotes, Divum genus, erige lapsam,
 32 teque magis dignum fac meditetur opus.
 33 Sat mihi, si veniam temeraria coepta merentur
 34 plura verecundo non decet ore peti.

GRATIARUM ACTIO PRO POEMATIIIS BENE EXCEPTIS.

C_3 v.1 Regina victrix, germen acre Bellonae,
 2 Arctoa Pallas, non inutili tela
 3 armata dextram, sed duellico ferro,
 4 et quod tremiscat hostis, hostis expertum
 5 supplex adoret, Mater alma castrorum,
 6 cui Mars vocanti, cui triumphus est praesto ;
 7 quid est, quod aures rumor accidit nostras,
 8 haud negligenter lectitasse te lusus,
 9 effrenis olim proximusque non sano,
 10 nec sat modestae quos calor juventutis
 11 luci dicarat ? Tene, Martium fulmen,
 12 ten', Restitutrix elegantiae antiquae,
 13 Musarum asyllum, vena dia Permessi,
 14 legisse lusus ? Ten' probasse jam lectos ?
 15 Quid tam benigna, quid precemur augusta
 16 dii, mente dignum ? Sic facillimi mores,
 17 sic temperata comitate majestas
 18 longum supersint, seculoque plus uno

19 credantur orbi. Dii, fruamur hoc voto.
 20 Servate terris pignus istud invictum,
 21 cui Marte creta non Amazonum ductrix
 22 Semiramisque, sed pudica, certarint :
 23 non feminarum quicquid hactenus clarum.
 24 Annis Parentem laudibusque, Dii, vincat :
 25 post tot triumphos pace vincat aeterna,
 26 et quae triumphis una plurimis praestet ;
 27 Germanicamque mutet ocius laurum
 28 ramis olivae laetioribus lauro :
 29 (hoc flagitare, velle scimus hoc ipsam)
 30 suaque compta fronde Pallas exsultet.

IN DIANAM SALTANTEM.

C_4 v.1 Qualis Partheniam Phoebi germana per umbram
 2 virgineos ducit, non sine fratre, choros ;
 3 crure quidem succincta tenuis, nudata papillam,
 4 sparsaque ludentes per caput omne comas :
 5 sic quoque casta tamen. Ficto lascivia passu,
 6 et morum gravitas cedere justa, decent.
 7 Alitibus nihil illa, feris nihil illa timetur.
 8 Pone jacent nervi, pone pharetra jacet.
 9 Talis Hyperborei domitrix primaeva Bootae,
 10 aemula Maenaliae, nec minor ipsa, Deae,
 11 attonitos dubia frustratur imagine visus,
 12 perque puellares emicat una choros.
 13 Cernis, ut exsultent Satyri procul hirta juvenus,
 14 inque Deam proni, si via detur, eant ?
 15 Spicula jamque manu cupida molitus in illam
 16 et tremat, et furtim figere tentet, Amor ?
 17 Tela quid, ah male sane puer, temeraria perdas ?
 18 Desine : vulneribus non patet illa tuis.
 19 Pectora non haec sunt tibi pervia. Siste, Cupido
 20 irrite, sacrilegam siste, proterve, manum.
 21 Gnata Jovis vinci, quamvis invita, fatetur ;
 22 seque velit magno sic placuisse sibi.
 23 Cynthia, da veniam ; palmae tibi laude carendum.
 24 Si dubitas, fratrem consule, Diva, tuum.
 25 At tu, per populos quam laudibus aequa paternis
 26 fama triumphali vectat opima rota ;
 27 quam leve, tot bello gentes, Augusta, subactae,
 28 vincere si Superos jam tibi ludus erit !

MAGNAE MUSARUM NUTRICI.

C_5 v.1 Hactenus Aonidum gratis vaga castra secutus,
 2 Non ego pars inopi, Phoebe, pudenda choro.
 3 Da veniam profugo, nisi das alimenta, poetae.
 4 Juris, ut esuriam, non vacat esse tui.
 5 Vin" carpantur opes ab avis mihi, Phoebe, relictas ?
 6 Hac quasi non malim vivere lege meus.
 7 Quam bene, nos sani quod plebs negat esse cerebri,
 8 qui paupertatis spe tua turba sumus !
 9 Ut Clio jejuna meos depascat agellos ?
 10 Tam fatuus non sum, Phoebe. Quid ergo ? Vale.

11 Quo mihi damnosos, quo plectra famelica, cantus ?
 12 Haec ego : turbata mox lyra fracta manu.
 13 Ille quidem erubuit, se pollicitusque daturum est :
 14 sed nihil in loculis, quo revocarer, erat.
 15 Invicti Regina Getae subrisit, et, Hospes,
 16 sit tibi cura lyrae, cetera crede mihi,
 17 dixerat : adjecit dictis sua dona, ratamque
 18 spe citius trepida jussit adesse fidem.
 19 Sit pudor ingratis obtundere fata querelis ;
 20 stat modo damnatam rursus amare chelyn.
 21 Quae merito certare valent praeconia tanto,
 22 temporibus Princeps unica fama tuis ?
 23 Aurea restituis quae Pindo saecula ; per quam
 24 vatibus obstructas non habet aula fores.
 25 Continuent, Augusta, tuam tibi Numina mentem,
 26 quo pia nil majus poscere vota queant.

DEDICATIO CLAUDIANI.

C_6 v.1 Augusta, laudis omnis unicum exemplum,
 2 virtutis ara, lex sacrata regnantum,
 3 os aureum, os Hymettio favo plenum,
 4 scientiarum vita, terminus pulchri ;
 5 en limen ardet obsidere Phoebeum,
 6 semperque apertos Delio choro postes
 7 audax Poeta, non Quiritium e turba
 8 cantor prosanus, faexve Romulae plebis :
 9 sed cui moventi plectra Honorius sacram
 10 indulsit aurem ; cui Senatus applausit
 11 rerum ille victor, rector ille terrarum,
 12 Stilichoque vestras lumen orbis Arctoi.
 13 Ad te citatos ecce promovet gressus,
 14 aulaeque reddi, quam reliquerat, gestit ;
 15 nostri laboris non inutili cura
 16 tandem expolitus, plurimisque jam liber,
 17 queis inquinatus ante squalluit, naevis ;
 18 Musarum ocellus, summus artifex fandi,
 19 salubribusque plenus ora praeceptis :
 20 quo Nili alumna nil venustius jactat
 21 Lagea tellus civitasque Alexandri.
 22 Sive arma verbis atque adoreas magni
 23 herois aequat, inque laude virtutis
 24 pulchrae occupatus tollit indolem Augusti
 25 infantis altam, callideque sic format
 26 fingitque, qualem par sit esse, laudando.
 27 Sive occupatos a spadonibus fasces
 28 servis tuetur ; seu vocantur ad partes
 29 Rufinus atrox mensque dira Gildonis.
 30 Plectri sonorus, quemque saeculo dignum
 31 censere possis barbaro minus nasci ;
 32 primis secundum nempe vix poetarum,
 33 si floruisset re vigente Romana.
 34 At Tu serena fronte, fronte privata,
 35 imperviaque mente regio fastu,
 36 (qua supplices dignaris ac adorantes,
 37 meque inter illos) munus excipe oblatum,
 38 Divina Princeps. Sis benigna, sis praesens ;

39 parvumque, magno largiare quod vati,
40 superfluumque de negotiis tantis
41 sepone tempus, queis tenere distracta.
42 Seu mole non lassanda dextra vel tota
43 sceptri prementis osculis fatigatur,
44 omnisque fervet aula perpeti plausu
45 foetas triumphis gratulantium pugnas ;
46 regno capacem sive spiritum advertis,
47 aequaque libras lance publicum pondus,
48 aut lex ferenda est, teque vindicem agnoscit
49 salvo imperantis jure tuta libertas.
50 Nunc mentis ille dius igneae fervor
51 spectante caelum distinctetur in cura :
52 nunc tot gerendis una sufficis rebus.
53 Jamque auspicaem Vandalo togam armato
54 admittis humeris, et tropaea praescribis ;
55 hostemque adacto frangis ingeni telo
56 facundiaeque, mox per arma frangendum.
57 Ithaci diserta sic propago Laertae
58 suadere prudens, consilique felicis
59 auctor probatus ; sic trisaeculi Nestor
60 Xanthi fluentis Illoque fatalem
61 movere linguam, patriaeque nutanti
62 haud defuere uterque in arduis rebus.
63 Submisit ultro victor arma Pelides,
64 Teucrique frater, atque Oileos proles ;
65 regum ipse rector cessit Atreo cretus.
66 Nec sic celebrant bella gesta Tydiden,
67 dextraque non inerte saucius Mavors,
68 quam pacis artes. Inde plurimi factus ;
69 magnoque Tydeus creditus minor gnato.
70 Haec laus virorum summa, parva pars vestrae,
71 Regina, laudis. Sexus hac tuus jactet
72 neu se palaestra. Quippe feminae gyro
73 tot saeculorum si volubili illustres,
74 Heroidum si lecta turba priscarum
75 sistantur orbi, Taenaroque prorumpant ;
76 quam magna adaequet Fama dotibus tantis,
77 nullam exhibebit. Hoc tibi triumphatae
78 dentes fatentur, perduellis agnoscit,
79 admittit hostis. Quid gravantur hanc laudem
80 aures modestae ? Quid silentium imponis
81 non audienti ? Cur, quod omnibus constat,
82 cur, quod renatus Sol, quod occidens prodit,
83 uni tacendum ? Juris hic tui non sum,
84 Regina ; testor. Ut renuntiem Famae
85 aegre obtinebis. Deprecamur hoc primum.
86 Sin obsequendum est, obsequemur inviti.
87 At non silebunt saxa : saxa quod restat,
88 pro me loquentur ; conscientia absolvet :
89 regalibus quae sola non patet jussis.
90 Haec salva nobis, sceptrata nulla, jus nullum,
91 ut veritati deficit illa, praestabunt.

EFFIGIES REGINAE.

C_7 v.1 Si modo conspicuam se dia Scientia rerum,
 2 diaque se Virtus, sistit ; utramque vides.
 3 Legem Arcto posuisse parum quis credar, et inter
 4 tot titulos sceptris vix tribus este locum ?
 5 Imperium, Fortuna, tibi licet omne reposcas ;
 6 quod nullo pereat tempore, majus habet.

IN REGINAE NATALEM.

C_8 v.1 Lux laetissima, Lux serena rebus,
 2 sanctum nil magis, aut magis colendum,
 3 qua Sol temperat arbiter dierum,
 4 et curru vagus exigit citato ;
 5 miti stamine cui benigna Clotho
 6 Phryxi vellera tota destinavit,
 7 cui fusum tereti polivit auro ;
 8 nostrae tempore senior senectae
 9 longum secula posterosque nomen,
 10 Lux, perlabere. Sit redire curae,
 11 curae sit tibi millies reverti
 12 illa sospite, qua jubente nobis
 13 ut nos numine, Dii, fovetis aequo !
 14 Sed quam, Dii, nihil hactenus precamur !
 15 Parens Antilochi quot egit annos,
 16 Aurorae Phrygius quot ante conjux,
 17 Cumaeam cumulentur ad senectam.
 18 Votis hic nihil improbis rogatur.
 19 Quod si munera non minora magnis
 20 augustae meritis dari necesse est,
 21 (gnatos ut decet obviosque votis)
 22 vestros, Dii, date, quos meretur, annos.

AD PACATRICEM GERMANIAE.

C_9 v.1 Quod populis vitam perituris Marte dedisti,
 2 dira quod afflicto bella fugata solo,
 3 subduxit gladiis quod terga prementibus Ister,
 4 nec spisso tumidas sanguine maeret aquas ;
 5 humanum, Regina, genus pro munere tanto,
 6 quo neque sperandum majus, in aere tuo est
 7 te Natura, Salus te publica praedicat unam :
 8 nulla tibi meritos non vovet ara dies.
 9 Sera fer aetatem, columen memorabile rerum,
 10 maxima qua Superis sospite cura sumus.
 11 Sic homines, sic orbis amet te gratus amantem,
 12 lausque patrocinii gaudeat esse tui.
 13 Invia laetitiae nusquam loca. Plausibus urbes,
 14 plausibus exsultant persona rura suis.
 15 Quod Themis et Pietas patrio laetantur Olympo
 16 ad prius invisam cedere rursus humum ;
 17 arva quod agricolis Cererem latura novantur ;
 18 spumea quod solito sub pede musta fluunt ;
 19 quod senium sperare juvat, nec vita dolori est ;
 20 luce quod aetheria vescimur, omne tuum.

21 Dii tibi dent, quantum nobis, Regina, dedisti :
22 nam dare quod possint nil puto majus habent.

AD REGINAM.

LEO IN ARENA CUM ALLIS FERIS TER QUATERVE COMMISSUS PUGNAM
CONSTANTER DETRECTAT.

C_10 v.1 Teutonicae tibi praeda Leo non ultima palmae ?
 2 Bellua Caesareo nuper alumna lari ;
 3 Marmaricis tremor ille jugis, quem caede ferina
 4 vastus inexpletum vix satiarat Atlas,
 5 sanguinea saevire negat jam mitis arena,
 6 lentaque in appositas non movet ora dapes.
 7 Seu modo fulmineis se cornibus ingerat urus
 8 sive Lycaoniae non minor ira ferae.
 9 Illum certa premunt solitae fastidia praedae,
 10 numinis afflatum pectora Pace tui.
 11 Quis dirum tam crudus amet te sospite Martem,
 12 bellua cum mores induat ista tuos ?

AD OLUM.

C_11 v.1 Ole, legit laudatque meam Regina Thaliam,
 2 non Reginarum de grege vile decus ;
 3 secula sed meritis similem cui nulla tulerunt,
 4 cui similem meritis fecula nulla ferent.
 5 Rarus honos, dentemque tuum qui jure fatiget :
 6 sed mala nil confert hic sibi lingua boni.
 7 Ne quid agas frustra ; nostin' tibi quid sit agendum ?
 8 Excute me domina, si vir es, Ole, manu.
 9 Aut hoc te quia velle negas, fac rumpar et ipse :
 10 rumpar enim, dederis si potiora meis.

+++++

ALIA QUAEDAM SUB IDEM FERE TEMPUS SCRIPTA.

JOHANNI LUDOVICIO BALZACIO.

C_12 v.1 Facundissime Ludovice, quotquot
 2 vel sunt, tempore vel fuere quovis
 3 in turba popularium tuorum ;
 4 cui vernacula Suada perpolite,
 5 cui fari dedit efficace lingua,
 6 et vivacibus intonare chartis,
 7 cursu haud unius audiende secli,
 8 longumque exsequiis superfuturo,

9 atque a funere mox vidende major ;
 10 cum Famae alitibus vehere pennis
 11 rorans nectare, despuesque ab alto
 12 pigrae flumina non bibenda Lethes.
 13 Haec olim Pyliae seni senectae
 14 nostris numina dent benigna votis.
 15 At nunc ut valeas juvat doceri,
 16 verbo vel juvat unico doceri :
 17 ne desiderio tuae salutis
 18 incastum, Ludovice, maceremur.
 19 Scribe ergo ut valeas, venuste noster.
 20 Salus si tibi restituta, lapsam
 21 quin tu restituis mihi salutem ?

JOANNI FRANCISCO SARACENO,
 UT GALLICA SUA POEMATA EDAT.

C_13 v.1 Grande novem Saracene decus facunde sororum,
 2 Idalis aspersit quem sale Diva suo,
 3 Eia age, prome, tuos in lucem prome lepores,
 4 totque jocis meritum parce negare diem.
 5 Fama tibi jam stravit iter spatiosa benignum :
 6 prosiliat latebris splendida Musa suis.
 7 Nequicquam premitur, Saracene. Modestia sera est,
 8 tam bene nota aliis quam male nota sibi.
 9 Ergo tot frustra Veneres largitus Apollo,
 10 et fovet ingratum spreta Thalia caput ?
 11 Barbare Medea Saracene cruentior ipsa,
 12 tolle manum jugulo prolis et arma tuae.

IN OBITUM VIRI OPTIMI AC SUMMI THEOLOGI FRIDERICI SPANHEMII.

C_14 v.1 Permisere sibi si quid suspiria quondam,
 2 si dolor in lacrimas prodigus ante fuit ;
 3 fletibus aeternis lugubria busta rigentur :
 4 exigit hos meritis nobilis umbra suis.
 5 Spanhemio moriente levis dolor omnis, amici ;
 6 impar materiae planctus et iste suae est.
 7 Hac animam Virtutis humo Libitina recondit.
 8 Quot bona tam sancti funere rapta viri !
 9 Persona lamentis en omnia, questus ubique.
 10 Nulla vacat gemitu, nulla dolore, domus.
 11 Si tot amicorum lacrimis nil creditur, Hospes,
 12 crede vel Invidiae. Livor et ipse dolet.

CAROLUS PRIMUS BRITANNIARUM REX, NEFARIE A SUIS TRUCIDATUS.

C_15 v.1 Carole, amor rerum, manibus cur sancta tuorum
 2 praecipitata tibi funera ? Mitis eras.
 3 Non tulit hos in Rege suo faex barbara mores ;
 4 Parque fuit sceleri, nolle probare scelus.
 5 Hactenus hospitibus fugienda Britannia solis,
 6 advena nec sedem quam velit esse suam :
 7 nuncdominis infensa, et inhospita Regibus ipsis
 8 ausaque barbaria se superare sua,

9 augusta sit caede nocens : quod postera pubes,
 10 quodque ego vix credam fletibus ipse meis.
 11 Defuit hoc sceleri Laestrygones, impia tellus ?
 12 Ultiores aliquid jam fore scite Deos.
 13 Hoccine servitio Libertas saevior omni,
 14 sacrilegae leges hoc potuere nefas ?
 15 Di, bene ; quod nostro submota Britannia mundo
 16 criminis invidiam sustinet una sui !
 17 Atque utinam, Di, nulla foret ! Precor exeat aevo,
 18 dira que Cimberia nocte prematur humus.
 19 Quid liceat sceptris, ubi nec clementia tuta est ?
 20 Hoc fuit, Antiphaten non habuisse suum.

SIMONI VINNIO ARNOLDI FILIO,
 CUM SUPREMOS IN UTROQUE JURE HONORES CONSEQUITUS ESSET.

C_16 v.1 Vinni sedule, digne laude Vinni,
 2 primam Delius et Themis juventam
 3 cui pallentibus abstulere curis,
 4 cui tot sollicitas lucerna noctes
 5 duxit pervigil, ebriumque olivo
 6 lychnum Lucifer haud semel notavit ;
 7 quem saepe Aoniae lyrae vacantem
 8 vidit Cynthia, desidesque somnos
 9 damnavit dea Latmii mariti,
 10 jam te continuo manet labori
 11 merces debita, teque Fama, Vinni,
 12 ultro te meriti ambiunt honores ;
 13 aequis passibus en vocant iturum
 14 per vestigia, queis peregit orbem
 15 splendor nominis inclytus paterni.
 16 Quo cretus genitore sis videto,
 17 in te quem venerabimur renatum,
 18 Vinni sedule. Cernis, ut procantem
 19 procetur Themis et trahat trahentem,
 20 omni vix aliis emenda voto,
 21 quam sponte obvia, quam benigna vobis !
 22 Totam muneris hanc habes paterni.

ROCHO HOFFERO,
 SUA AC PATERNA POEMATA EDITURO.

C_17 v.1 Roche, sodalicii longos spectate per usus,
 2 nec qui me levius, quam mihi amaris, amas ;
 3 indole nil poterat praestari dignius alta,
 4 quodque magis meriti debuit esse tui,
 5 qua rapere e tenebris facundi plectra parentis,
 6 et supera cassum luce fovere caput.
 7 Perge agere id quod agis, coeptosque absolve labores,
 8 exempli stimulos et tibi subde tui.
 9 Sic patriae titulos, Hoffere, tueberis umbrae,
 10 sic genitor Stygiis surripiendus aquis.
 11 Hoc quoque si monitis praesagi credis amici,
 12 cum patrio citharam pectine prome tuam.
 13 Unica fac geminas ostentet pagina lauros ;
 14 unica ovet gemino vate superba domus.

15 Audior : ecce simul prolesque parensque leguntur,
 16 arduus in laudem tendere uterque suam.
 17 Tam similes proliques parens prolesque parenti,
 18 ut dubitet, palmam cui dare Fama velit.
 19 Perge per aeterni meditamina, perge, laboris
 20 in nemus Aonium plurimus ire nepos.
 21 Quid precor, et votis agito damnanda modestis ?
 22 Lassavit Clarium jam Chelys ista Deum.

KINSCHOTIUS FATALI MORBO DECUMBENS,
 CUM IPSE IN SUECIAM NAVIGARET.

C_18 v.1 Cimbrica me Tethys Borealibus aspera nimbis
 2 jactat, et Arctoi naufraga spuma salis ;
 3 cura tamen de me non est mihi. Di, date tantum
 4 plurima cui meditor vota, superstes agat.
 5 Ah meus invalidos Kinschotius uritur artus !
 6 Praeda miser lentis febribus ille jacet.
 7 Quemne ego deserui crudelis, ut ultima ferrem,
 8 et caput hoc diris ingereretur aquis ?
 9 Poena premit meritum : nil deprecor aequoris iram.
 10 Supplicio gravior, Di, mea noxa suo est.
 11 Alterutrum si fata vocant, me spargite ponto :
 12 est mihi Kinschotio sospite vita mori.
 13 Sin illum fera Parca trahit, quin jungor amico,
 14 quo sine nequicquam, Di, superesse velim ?
 15 Cernitis, ut multam juveni Cytherea salutem,
 16 ut Charis, ut Paeon Aonidesque rogent ?
 17 Spes tantas, bona fata, meis servate Batavis :
 18 mortuus hoc vivam pectore. Vita, vale.
 19 Quam levis o facilisque mei jactura perempti,
 20 illo qui nequeam non moriente mori !

AD THEODORUM GASWINCKELIUM EQUITEM, ETC.
 SUPER RE BATAVORUM ANNONARIA
 UTILISSIMIS AB ILLO COMMENTARIIS ILLUSTRATA.

C_19 v.1 Dulce decus Themidi, decus o memorabile Phoebo,
 2 (nam micat in titulis numen utrumque tuis)
 3 tertia nunc, Theodore, Ceres tibi nata clientum :
 4 nec plus Triptolemo debuit illa suo.
 5 Spicea Daphnaeae succedant sarta coronae ;
 6 mitis Apollineum cingat arista caput.
 7 Haec tibi servati meditantur praemia cives.
 8 Pro Dodonaei debita fronde Jovis.
 9 Zoile, si dubitas plausum dare, pascere quercu :
 10 e Graswinckelia nos juvet esca manu.
 11 Aemule Pisonum, Frugi. Theodore, vocandus,
 12 qui patrio diram pellis ab orbe Famem,
 13 te duce tuta forent Capitolia ; te duce pubes
 14 Martia Manliacae non eguisset opis.
 15 Staret adhuc, Poeno frustra bellante, Saguntos ;
 16 tantaque tam magno non emerere fides.
 17 Cernis, ut aligeros frenet tibi sacra jugales,
 18 ut tibi multifidam ventilet Henna facem ?
 19 Nocturnis furiata choris exsultet Eleusis ?
 20 Nec Dea maerori jam vacet aegra suo ?

21 Qualis ad Iasium Curetide capta sub Ida,
22 in Jovis amplexus ibat ut ante sui ;
23 sic tibi se facilem, sic se tibi praebat aequam ?
24 Munus ab ingenio fert Dea grande tuo.
25 Persephonen tanti miserae quaesisse parenti est :
26 non minus erepto pignore pignus habet.
27 Plaude, parens frugum mitissima ; plaude, repertrix ;
28 et tibi sacratam perge fovere manum.
29 Sera tuo genero, (nisi paenitet esse benignam)
30 sera, precor, gnatae praeda sit ille tuae.
